

bat. Et, quoniam (per jam dicta) homo se semper potest reddere per actiones suas perfectiorem, Deus, qui summe bonus est (§. 15.), non potest non velle, ut per actiones suas liberas se reddat perfectiorem. Deus itaque homini finem constituit, ut suam perfectionem promoveat. Quemadmodum vero Deus omnium creaturarum vult perfectionem (§. 15.), ita etiam vult, ut homo, si possit, & aliorum perfectionem promoveat. Finis itaque homini a Deo præfixus est, ut tam suam propriam quam aliorum perfectionem promoveat.

Hominem, per suam naturam, semper progredi posse a perfectione una ad alteram, nemo in dubium vocat. Quum itaque Deus hominem creaverat, non puterat ejus progressum ad imperfectionem velle, eo-que delectari, quod est contra ejus Sanctitatem & summam bonitatem. Volebat igitur ejus perfectionem, quam promovendam ipsi etiam pro fine constituit.

§. 39.

Cum itaque Deus homini una cum cultu, Deo præstando, finem, ratione sui ipsius, nempe hominis, constituerit, ut suam & aliorum perfectionem promoveat (§. 38.), creandus etiam erat homo, quemadmodum ad cultum; ita etiam ad hunc finem, convenienter (§. 32.).

*Cui finis  
creandus  
erat conve-  
nienter.*

Nega assertum, tum homo nec suam propriam nec aliorum perfectionem poterit promovere, adeoque Deus non obtinebit, quod voluit, sed finem voluisset & præfixisset frustra. Sed quis auderet hoc affirmare, nisi velit contra Dei perfectiones gravissime peccare (§. 22.)?

§. 40.